

Franckesche Stiftungen zu Halle

Rector Academiae Lipsiensis Festum Paschatos Sancte Ac Devote Celebrandum Intimat

Fleischer, Christoph

[Leipzig], [1708?]

VD18 90816749

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-200565)



1. Progr. Cipp. natal. it. len.
2. Progr. Lipp. pulch. it. len. it. Erfurt.
3. — — Pentec. it. Witt.
4. Hardthura Helmst.
5. Hebreæ de æra nativ. Christi
6. Bel Hist. lingua Ungar.
7. Reimnitz Postscriptum



61. C. 2

61 C 2

23,
~~24~~

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
FESTUM
PASCHATOS
SANCTE AC DEVOTE
CELEBRANDUM
• INTIMAT.

o
24

RECTOR
ACADEMIE LIPSIESENSIS
FESTUM
PASCHAE
SANCTE AC DEVOTE
CELEBRANDUM
INTIMAE



autore S. Iohannis.

A & Ω.



AD corroborandam fidem nostram de RESURRECTIONE CHRISTI IESU, quæ præcipuum Resurrectionis nostræ fundamentum esse perhibetur ab Apostolo α), duo cumpri-
mis sacre cuiusvis meditationi sunt subiicienda capita. Unum est, CHRISTUM sive MESSIAM a mortuis resurgere debuisse; Alterum, IESUM Nazarenum, Dei & Mariæ Filium, a Iudeis crucifixum, juxta prædictiones Veterum, vere tertia die resurrexisse. Prius Nonnulli demonstrare satagunt ex illo Dei Patris, quod Messias promulgavit, decreto β): Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te γ). Cum enim, qui a mortuis resurgit, novam quodammodo vitam ordiatur, ac sepulchrum ei sit instar uteri ipsi parientis, sequi hinc putant, quando Deus dixit: Filius meus es tu, ego hodie genui te, promissionem factam esse de Messia, a mortuis resuscitando. Sed Alii minus liberum esse recte existimant, hæc verba de alia re, quam Divinitate Filii Dei, & æterna eius ex substantia Patris Generatione, interpretari δ): quomodo eadem interpretatus est Apostolus ε). Quamvis Resurrectionis certitudo & necessitas ex æternæ generationis Majestate concludatur ab eodem ζ): sicut etiam alibi ad Sacerdotium Christi hæc verba applicari videas η). Sensus nempe dicti huius est & manet de Generatione Filii DEI ἐν τῷ αἰῶνι αἰωνιότης facta; Sed in allegatis reliquis Scripturæ locis ostenditur illius

A 2

usus

α) 1 Cor. XV, 12 -- 22. β) Psal. II, 7. γ) Cum Papistæ communiter huius loci triplicem sensum faciant, de Filii Dei æterna Generatione, Incarnatione, & Resurrectione, Vasquezius, ut refert Lorinus Comm. in Acta S. 344. existimat, solum sensum de Resurrectione esse literalem. Conf. Salmeronem, Bellarminum, Svarzeium, Molinam, Greg. de Valentia, Blasium, Viegam Dorseteo Pentad. Disp. II. §. 62 f. 107 & 108. laudatos. δ) Vt sunt Caietanum Comm. in Acta, Sixtus Senens. L. VII. B. S. Hæres. 9 & 11. Genebrardus in Ps. II. Franc. Kieberta ad Hebr. f. 71 - 73. Lorinus in Acta p. 345. Sanctius ib. f. 266. ε) Heb. I, 5. ζ) Actor. XIII, 33. η) Heb. V, 5.

usus, dum quasi medium adhibetur ad probandam Christi tum *Resurrectionem*, tum *Sacerdotium eternum*, hunc fere in modum: CHRISTUS non potuit manere in morte (nec Sacerdotium eius fuit temporarium) quia Filius DEI aternus est, de quo dicitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* 9). Ut iam taceamus, ipsis eius sententiae Auctoribus istud Davidis vaticinium, si de Resurrectione Christi explicetur, paulo obscurius videri ob phrasin metaphoricam, *genui te*. Vnde Spiritum DEI agnoscunt longe clariorem protulisse, per os eiusdem Davidis, praedictionem 1): *Caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam meam in sepulchro, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Quae, uti Petrus Apostolus indicat 2), nullo modo convenit in personam Davidis, sed in Filium eius Messiam. David quidem, inquit, Patriarcha & defunctus & sepultus, & caro eius in sepulchro consumpta est, sed Propheta cum esset, & sciret, quia iurejurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sessurum super sedem eius, providens locutus est de Resurrectione Christi: quia neque derelictus est in sepulchro, neque caro eius vidit corruptionem. Idem Messias in alio Psalmo 3) post preces in passionibus suis ac mortis doloribus effusas, in hac verba loquens introducit: *Enarrabo nomen tuum fratribus meis & in media congregatione laudabo te*. Nempe Christus passurus, & primus ex Resurrectione mortuorum lucem annunciaturus erat populo & gentibus 4) per Apostolos, qui post receptam virtutem supervenientis Spiritus testes eius futuri erant in Ierusalem, & in tota Iudaea, Samariaque, & usque ad ultimas terras 5). Adde, quod ex praedictione Davidis 6): *de torrente in via bibiturus sit Messias*. Ubi *Via* vitae mortalis cursum notat: rapidus *torrens*, quo ea intersecatur & abrumpitur, vehementem significat perpeffionum innudationem: *de torrente bibere* est eo inundari, tantum non suffocari 7). Id posteaquam Christus fecerit, tum ex pacto Patris, & condignitate passionum antecedanearum 8) *extollet caput*, id est, emerget a torrente passionum & mortis, secumque emergere faciet membra corporis sui mystici, ut participant de sua gloria, sicut participant de passionibus. Atque ita vi trium horum Vaticiniorum, certo nobis affirmatur, Messiam esse resurrecturum. Plura in eundem sen-

9) Vide Kromayerum *Theol. Pos. Pol. art. II. Antiib. XII. f. 169.* 1) *Psalm. XVI. 10.*
 2) *Act. 11. 31.* 3) *Psalm. XXII. 23.* 4) *Act. XXVI. 23.* 5) *Ibid. c. I. 28.*
 6) *Psalm. CX. 7.* 7) *Luc. XXIV. 26.* 8) *1 Pet. I. 11.*

sensum extant e), de quibus nunc dicere non vacat. Id unum præ-
 terire non possumus, quod ut attenderemus, Paulus fecit, ne quis cre-
 dat, Messiam semel mortuum resurgere quidem a mortuis potuisse, et
 secunda vice rursus mori debuisse. Nimirum apud Esaiam his verbis
 Deus Electos compellat σ): *Inclinate aurem vestram, & venite ad me;
 audite, & vivet anima vestra, & pangam vobiscum fœdus æternum, mise-
 ricordias Davidis fideles.* Verba hæc sic explicat & applicat Apostolus:
 τ) *Quod suscitaverit eum ex mortuis, non amplius reversurum in sepul-
 chrum, ita dixit: Dabo vobis firmas illas Davidis Beneficentias.* David
 hic, ut sæpe in Prophetiis, Christum significat, υ) quem Deus constituit
 typum omnium benedictionum fœdere æterno promissatum, in qui-
 bus vita beata totius hominis est, quæ suscitationem ex mortuis sup-
 ponit. Vis Apostolici argumenti manifesta erit ad quamvis conscien-
 tiam, si in formam Syllogisticam hoc modo redigatur ϕ): Quem
 Deus nominat typum omnium benedictionum, atque ita etiam resusci-
 tationis ad vitam æternam, illum resuscitavit ex mortuis, non moritu-
 rum amplius. Atqui Christum sub nomine Davidis, facit typum omni-
 um benedictionum, & sic etiam resurrectionis ex mortuis, quando di-
 cit: *Dabo vobis misericordias Davidis fideles.* Ergo eum suscitavit ex
 mortuis. Cæterum non ipsa solum Resurrectio, sed & illius tempus
 prædictum & præfiguratum fuit. Sic enim Ecclesia, quæ corpus
 Christi, Capitis sui, mysticum est apud Hoseam: χ) *Vita restituet nos
 post triduum: die tertio excitabit nos, & vivemus coram ipso.* Nempe
 in illa Christi Suscitatione exemplar eorum est, quæ obtingunt Eccle-
 siæ. Sicut ergo ille post triduum vitæ restituendus, tertio die excitandus
 erat: ita sibi Ecclesia pollicetur fore, ut *post triduum*, i. e. interiecto
 paucillo tempore lætioribus auspiciis ex calamitate sua resurgat ψ). Et
 ad hunc locum merito Apostolum respexisse dixeris, ω) quando Chri-
 stum expresse scribit *die tertia resurrexisse, juxta Scripturas* scil. Prophe-
 ticas. Nullus enim Vet. Test. textus, si ab hoc recedamus, proferri
 poterit, qui κατὰ ῥητὸν & sine mysterio diei tertiæ mentionem tam-
 diserte faciat. Vaticiniis de Resurrectione Messię adiungi possunt

A 3

Typi.

e) Esa. LIII, 8. 10. Mich. II, 18. Hiob. XIX, 25. &c. σ) Esa. LV, 3. τ) Act. XIII, 34.
 υ) 2 Sam. VII, 15. Psal. LXXXIX, 29. ϕ) Conf. Io. Cocceium Comm. ad b. l.
 s. 4. in fin. f. 1120. χ) Hof. VI, 2. ψ) Vide Lutherum Enarrat. in Hof. Tom.
 IV. Jen. Lat. f. 638. ω) 1 Cor. XV, 4.

Typi. Tacemus nunc Historicos illos, quos alii observarunt in *Isaaco*, *aa)* qui ex intentione Abrahami immolatus & mortuus, nihilominus in spe eius a mortuis receptus & vivus fuit, ut significaret, Christum vere mortuum, denuo revicturum; in *Iosepho* ex carcere *ββ)*; in *Daniele* ex spelunca Leonum *γγ)*; in *Sociis* eius ex fornace ardente *δδ)* mirabiliter ereptis & ad maximas dignitates evectis; & qui maxime notabilis, in *εε)* *Iona*: Sicut enim fuit *Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus*; Sic & futurum erat, ut *Filius Hominis in corde terre esset tribus diebus & tribus noctibus*. Unum saltem adhuc legalem exhibere nunc lubet. In purgatione quippe leprosi iubetur Sacerdos sibi sumere duas aviculas mundas: quarum altera erat jugulanda sic, ut sanguis funderetur in vas testaceum super aquam vivam; alteri vero intinctæ in sanguinem aviculæ iugulatæ liber in agrum volatus permittebatur. Isto tum sanguine adspergebatur leprosus. Ultraque Avicula *Messiam* notabat, sed in statu diverso. Avicula mactanda mortem Messiae: Fusio sanguinis super aquam vivam, passioni & morti coniunctam obedientiam eius notabat. Altera Avis viva intincta sanguini & sic dimissa Messiam ex mortuis redivivum, liberum a peccato nostro, quarentem domicilium in his terris, id est *Ecclesiam*, in qua habitet, per proprium sanguinem in cælum evolantem, representabat. Sanguis autem Christi mortui, sed & redivivi futuri, lepram nostram spiritua-lem expurgare debebat. Sic igitur Resurrectio Messie Typis adumbrata, ac Prophetiis prædicta fuit, debuitque proinde *Christus* resurgere a mortuis *ζζ)*.

IESUM autem, quem verum atque unicum mundo promissum Messiam credimus *ηη)* a mortuis secundum Scripturas resurrexisse *θθ)* certa atque infallibilis veritas est, tum *variis Testibus*, tum *crebris Christi Apparitionibus* revelata nobis & confirmata. Testes sunt, partim Angeli, partim Homines, partim *DEUS* ipse. Mysterium nempe creditu tam necessarium ante omnia testimonio plusquam humano opus habebat. Quare Angelus Domini, ut refert Matthæus *ιι)* cum

aa) Gen. XXII, 4. Heb. XI, 19. *ββ)* Gen. XXXIX, 20. XLI, 14. *γγ)* Dan. VI, 23. *δδ)* Dan. III, 26. 30. *εε)* Ion. II, 1. 2. *ζζ)* Vide lo. Cecejum in *Obsev.* ad Lev. XIV. §. 3--7. Tom. I. Opp. f. 176. *ηη)* Job. XXI, 31. Id quod contra Iudeos evincimus tum ex periodo adventus Messie adimpleta, tum proprietatum Messie ad *IESUM* nostrum applicatione. Vide hæc in compendio ap. Scherzerum *Brévic.* §. 21. f. 63--66. *θθ)* 1 Cor. XV, 4. *ιι)* cap. XXII, 2. 3. 5. 6. 7.

eum e caelo descendisset, accessit ad monumentum, e quo Christus iam redivivus prodierat, & revoluta lapide ab eius ostio, consedit super illum, dixitque mulieribus praesentibus: *Nolite vos timere* (erat enim facies Angeli similis fulguri, ac vestimenta eius niveo candore lucentia) *scio, quod IESUM queritis crucifixum, SUR- REXIT! sicut dixit. Venite, videte locum, ubi positus erat Dominus, corpore vacuum. Et propere abeuntes annunciate Discipulis eius, quod resurrexit. Quem si videre cupitis, ecce praecedet vos in Galileam, ibi licebit eum adspicere vivum, quem luxistis mortuum. Ecce praedixi vo- bis!* Duos fuisse Angelos tradunt *Lucas* κκ) & *Iohannes* λλ) qui pri- mum stantes secus Mulieres in veste fulgenti, postea sedisse dicuntur, unus ad caput, hoc est ad dextram partem, ut est apud *Marcum* μμ) iuxta locum ubi caput fuerat mortui; alter autem ad pedes, utrum a dextro aut sinistro latere, non refert Scriptura. Horum unus, amborum nomine locutus, dixit: *Quid queritis viventem cum mor- tuis? Non est hic, sed Surrexit: recordamini, ut dixerit vobis, cum adhuc in Galilea esset, dicens: quod oporteret Filium Hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & tertio die resurgere. Nec obstat, quod hic apud Lucam sit εἰπὼν dixerunt νν).* Hoc enim κατὰ συνῆκδοχὴν ponitur pro alteruter, ut in Historia Passionis Dominicae legitur: *Latrones exprobraverunt ei, pro eo, quod dici potuisset, alter- uter latronum ξξ).* Angelorum testimonio succedit Hominum. Pia namque illae Mulieres, quae, ut aromatibus atque odoris corpus inungerent, sole iam oriente, ad sepulchrum devenerant, vivum re- periebant IESUM, pedibusque prehensis, ipsum adorabant, primae- que Resurrectionis huius nunciae, cum timore gaudioque magno, disci- pulis eam narrare properabant οο). Mulierum harum nominantur quatuor: ac princeps locus ab omnibus Evangelistis tribuitur Ma- riae Magdalenae ππ) quae a Iohanne sola nominatur ρρ) non, ut conii- cit Vosius σσ), quod in unguentis coemundis praecipuos sumptus fecisset: Sed quod, ut refert *Marcus* ττ) IESUS mane surgens, prima Sab- bathi,

κκ) Cap. XXIV, 4. λλ) Cap. XX, 12. μμ) Cap. XVI, 5. νν) Cap. XXIV, 5. 6. 7. ξξ) Matth. XXVII, 44. coll. cum Luc. XXIII, 39. οο) Matth. XXVIII, 8. 9. ππ) Matth. XXVII, 36. 61. XXIX, 5. Marc. XV, 1. Luc. XXIV, 10. ρρ) Ioh. XX, 1. σσ) Harm. Evang. L. III, c. III, §. 1. f. 370. ττ) Cap. XVI, 9.

batbi, primo apparuerit Maria Magdalene, de qua eiecerat septem demonia. Ei subdit Matthæus Mariam alteram, *vv*) quæ, ut est probabilis doctissimorum virorum opinio *φφ*) Mater Domini esse videtur. Ea enim a liberis Iosephi iam defuncti apud Marcum *χχ*) vocatur Iacobi parvi & Iosef Mater, sive Noverca. Tertia fuit Maria cognomento Salome, filia Cleophæ, Mater filiorum Zebedæi, hoc est duorum Apostolorum, Ioannis & Iacobi majoris *ψψ*). Quarta memoratur Lucæ, *ωω*) & est Ioanna, Uxor aut vidua Chuza, qui Herodis erat Procurator. Præter vero quatuor hasce fuere alii *ἀνῶνωτοι*, quas Lucas designat *α*). Nam cum dixisset mulieres Galilæas die parasceves vidisse monumentum, & aromata ac unguenta parasse, Sabbatho autem secundum præceptum quievisse; mox ait, eas prima hebdomadis die rediisse aromata portantes, nec eas solum, sed etiam nonnullas cum illis: nempe Hierosolymitanas, quæ sese iunxerant mulieribus Galilæis. Mulieres sequuntur Apostoli, quibus & ipsum præbuit se vivum IESUS post passionem suam, multis cum argumentis *β*): quique adeo virtute magna reddebant testimonium Resurrectionis Iesu Christi, Domini nostri *γ*). Quo in testimonio quoque primaria officii ipsarum ratio constitit, ut patet ex Matthie in locum Iudæ proditoris surrogatione, fundamento huic innixa *δ*): Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati, in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus IESUS, testem Resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis. Sed & reliqui plusquam quingenti Discipuli, quibus itidem post resurrectionem suam apparuerat, idem quoque attestabantur *ε*). Cum autem hæc sint domestica propriorummet IESU Cultorum in ipsum credentium testimonia, & adversarii testimonium in eiusmodi rebus maximum credatur habere momentum, non discipulorum modo, sed & ipsorum eius Hostium testimonium nobis suppetit. Et hi sunt Milites sepulchrum eius custodientes, ab Apostolorum manibus, ut putabant, furtivis illud asservaturi. Horum, inquam, aliqui civitatem ingressi sacerdotibus narrabant, quæ sibi contigissent, videlicet de terræ motu, & Angeli descensu, & lapide ab eo devoluto: atque ut ex istis tanto

COR-

vv) Cap. XXVIII, 1. *φφ*) apud Vossium l. c. s. 2. f. 371. *χχ*) Cap. XV, 30. *ψψ*) Matth. XXVII, 56. *ωω*) cap. XXIV, 10. *α*) Luc. XXIII, 55. 56. XXIV, 1. & 10. *β*) Act. I, 1. *γ*) Act. IV, 33. *δ*) Act. I, 21. 22. *ε*) 1 Cor. XV, 26. 27.

correpti fuerint tremore, ut mortuos referrent, sicuti Matthæus narrat ζ); tum autem, ut simul ac paululum ad se rediissent, sepulchrum inspexerint, sed neminem in eo viderint, ut causa non fuerit, cur diutius apud sepulchrum permanerent; eoque venisse, ut miranda ista nunciarent iis, quibus officii sui rationem reddere oporteret. Quod si vero testimonium Hominum Angelorumve recipimus, *testimonium DEI majus est η)*, qui & sufficientissime Resurrectionem hanc demonstratum fecit, non modo, quod nulla alia virtute, quam Divina effici potuerit, sed & quod, dicente Salvatore, *Spiritus veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*. Ubi hæc ad Apostolos verba subiicit: *Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis θ)*. Spiritus ergo Dei in Apostolos missus hoc ipso Christum resurrexisse testatur, quod Spiritum hunc a Patre mittebat, ipsique Apostoli una cum hoc Spiritu testimonium perhibebant, quippe in attestatione sua ab hoc Spiritu illuminati atque confirmati. Ita *DEUS suscitavit IESUM, ac dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, quorum etiam aliqui manducaverunt ac biberunt cum illo, postquam resurrexit a mortuis ι)*. Post tot tamque diversi generis testimonia, nil sane validius ad confirmandam hanc Resurrectionem crebris illis Christi redivivi Apparitionibus, quibus fidem, etiam a maxime incredulis amicorum, extorsit. Has Petrus κ) urget, ac Paulus λ). Earum undenas μ) in Sacra invenimus Historia, ante Christi in cælos adscensionem: *quinque ipso Resurrectionis die, & sex sequentibus diebus, quarum tamen ordinem*

B

dinem

ζ) Matth. XXII, 11. η) 1 Ioh. V, 9. θ) Ioh. XV, 26. 27. ι) Act. X, 41. κ) Act. X, 41. λ) 1 Cor. XV, 5. μ) Alii novenas referunt. Vide Gerh. Io. Vossium *Harm. Evang. L. III. c. IV. f. 380.* Georg. Calixtum *Harm. IV. Evangel. L. VII. c. II-III. f. 411-442.*

dinem exacte ubique determinare non possumus. Prima apparitio *Mariae Magdalene* soli apud sepulchrum facta fuit. ^{v)} Secunda *Mulieribus* a sepulchro regressis ^{ξ)}. Tertia, duobus Discipulis, *Cleopha* & eius socio Emauntem euntibus ^{ο)}. Quarta Simoni *Petro* soli ^{π)}. Quinta *Apostolis*, excepto *Toma*, in *Ierusalem* collectis ^{ε)}. Sexta iisdem omnibus octiduo post, *Toma* etiam simul praesente ^{σ)}. Septima ad mare *Tiberiadis* *septem Discipulis* piscantibus ^{τ)}. Octava, *undecim Discipulis* in monte quodam *Galilææ*, ut promiserat iis *IESUS* ^{υ)}. Nona *plusquam quingentis Fratribus* simul. ^{φ)} Decima *Iacobo* seorsim ^{χ)}. Undecima ipso die ascensionis omnibus *Apostolis* simul in monte *Olivet*. Atque sic *IESUS* præbuit se ipsum suis *Discipulis* vivum post passionem suam in multis apparitionibus, per dies quadraginta visus eis, & loquens de regno Dei & convalescens ^{ψ)}. Post ascensionem in coelos *Stephano* ^{ω)} quoque visus est, & *Paulo* ^{αα)} & *Iohanni* frequenter in *Apocalypsi*: quamvis ea visio magis Ecstatica & Emblematica, quam corporalis & personalis fuerit. His addi possunt apparitiones Sanctorum, una cum *IESU* nostro suscitatorum, qui monumentis suis post resurrectionem *Eius* egressi in civitatem sanctam venerunt, & apparerunt multis ^{ββ)}. Sive enim Veteres illi fuerint, ut *Adam*, *Noah*, *Abraham*, cum *Filio* & *Nepotibus*, *David* &c. Sive recentiores, ut *Simeon*, *Hanna*, *Zacharias*, *Iohannes Baptista*, aliorum temporis noti; indubie de resurrectione Christi testati sunt, eamque suæ resurrectionis causam agnoverunt. Ideo

^{v)} Marc. XVI, 9. Ioh. XX, 14. 18. ^{ξ)} Matth. XXIX, 9. 10.
^{ο)} Luc. XXIV, 13-31. ^{π)} Ib. v. 34. ^{ε)} Ib. v. 36. Ioh. XX, 19. ^{σ)} Ib. v. 26. ^{τ)} Ioh. XXI, 1. sqq. ^{υ)} Matth. XXVIII, 16. ^{φ)} 1 Cor. XV, 6. ^{χ)} Ib. v. 7. ^{ψ)} Luc. XXIV, 50-52. Act. I, 3--12. ^{ω)} Act. VII, 55. ^{αα)} 1 Cor. XV, 8. coll. cum Act. IX, 13. 17. 1 Cor. IX, 1. Act. XXII, 14. Ib. XXIV, 11. ^{ββ)} Matth. XXVII, 52-53.

Ideo multis apparuisse dicuntur, ut ex eorum resurrectione
 (verba sunt Euthymii Monachi Zigabeni γγ) alii certiores
 redderentur, & de resurrectione CHRISTI cogitantes, quod
 qui hos suscitavit, multo magis SEIPSUM suscitavit. Neque
 tantum Veritas resurrectionis Christi hoc argumento com-
 probata, sed & illius Efficacia demonstrata est. Ita enim
 Eusebius Emisenus Episcopus δδ): Regrediens CHRI-
 STUS post diem tertium fructus secum triduanæ peregrina-
 tionis viventibus reportavit; & ut omnes eum de inferis regre-
 di crederent, TESTES secum ad superos, & præcones sub-
 actæ mortis exhibuit. Tacemus iam Admiranda plurima, quæ
 post resurrectionem CHRISTI contigerunt, visibilem
 puta Spiritus Sancti effusionem die Pentecostes, & dona
 Linguarum, & miracula ab Apostolis in IESU nomine edita,
 & Evangelii cursum, & efficacitatem Spiritus sui vivifici in
 cordibus fidelium, & destructionem Idololatriæ, & everfio-
 nem Politicæ Iudaicæ, & tutelam sanctorum admirabilem,
 & terribilem hostium vindictum, invitis etiam pectoribus
 veras voces exprimentem: & quæ id genus plura facile
 urgeri possent, ut argumenta CHRISTI viventis, ac re-
 rum in cælo potentis. Hæc Admiranda non inconcinne
 sub Emblemate florum sive fructuum in Horto, quo Chri-
 stus post mortem sepultus mox revivixit, progerminan-
 tium exhiberi possunt. Id quod occasione temporis amœ-
 nissimi, quo iam vivimus, vernalis puta, laudabiliter præ-
 stitit Juvenis Eximius atque Humanissimus DN. HEN-
 RICUS RUDOLPHUS HARTMANNUS Li-
 psiensis, Philosophiæ & Bonarum Artium Baccalaureus, nec
 non

γγ) Commentar. in IV. Evangel. c. LXVII. Tom. XIX. Biblioth. Pa-
 trum Lugd. edit. f. 390. δδ) Homil. VI. de Pascha f. 268. edit.
 Paris. 1575.

non Theologiæ Sanctæ Studiosus, in Oratione de *Spectatissimo*
& *Beatissimo Reviviscentis CHRISTI Horto*. Ad quam au-
diendam cum devota attentione ac pia meditatione, ut
PROCERES UTRIUSQUE REIPUBLICÆ,
nec non CIVES ACADEMICI RELIQUI, Studio-
si nempe Generosissimi, ac Nobilissimi, Humanissimique, Lu-
ce crastina post Horam XII meridianam, in Templo Paulino,
una mecum, e Sacello Sacræ ædis Nicolaitanæ processuro, con-
veniant, ea qua par est observantia & humanitate invito.
PP. ipsis Vigiliis Paschatos, VII Idus April. An. salutis
C I O I O C C V I I I.

Typis CHRISTOPH. FLEISCHERI.



61 C 2

10-18

